AD EMINENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM

CARDINALEM

STEPHANUM BORGIA

DE NUMMULIS PEIOESA INSCRIPTIS

JOSEPHI CASALI

CANONICI VATICANI

CONIECTURA

ACCEDIT EJUSDEM DESCRIPTIO INEDITI

PESCENNII NUMMI.



Exære apud Josephum Casalium

NAPOLI

ROMÆ MDCCXCVI.

EX TYPOGRAPHIO MICHAELIS PUCCINELLI

SUPERIORUM PERMISSU.

Google



In Museo Casalio

QUamvis inter Antiquitatis Cultores, & præsertim Volscos, nullius sim nominis, tamen ea pauca, quæ de Nummulis PEIOESA inscriptis in meis subcissivis horis observavi, tibi, Cardinalis Amplissime Volscorum Academiæ Veliternæ Institutor, & Princeps lubens offero, ut aliquo modo animi erga Te mei significationem palam faciam, non quod decorus sis purpura, (in qua consequenda plerumque, utinam rarius!) suas sibi partes vindicat oculis capta Fortuna, sed quod sis virtute, & doctrina insignis. Quod mihi maximè cordi est hoc unum a Te requiro, ut amicitiam tuam mihi serves. Non ignoras etenim me ea sorte contentum vivere, quam partim ratio mihi dedit, partim Fors objecit. Perlege igitur ea comitate, qua me amplecti soles, hanc meam dissertatiunculam, quæ tua tempora non morabitur longo sermone.

Varias inter opiniones in definiendo cui Populorum, vel Urbium adsignandæ sint parvulæ illæ monetæ, quarum tres hic ære incisæ in meo Nummophylacio asservantur inter se non discrepantes, nisi in epigraphes positione, & in quibus alii PVITHESA, alii PEITHESA alii denique VEITHESA, aut VEIOESA legunt, easque Perusiæ, Aretinis Fidentibus, Veiis, prout unicuique ex eis magis arridet, attribuunt, monstri simile non videbitur, si alia proferatur opinio, quæ de se ipsa aliquando cantabit = Cecidi ego, cadet, quæ sequitur, laus est publica = Perusiam exceperunt Aretini, Aretinos Veii. Sic excogitarunt Sellari, Lanzi, Sestini, Viri cæteroquin Clarissimi, & quos honoris causa nomino. Vejos nunc, si Diis placet, excipiat Aenaria Homero Arime, Virgilio, aliisque latinis Poëtis Inarime dicta, quam Græci PITHECUSAM nominarunt, sive a multitudine Simiarum, ut ali-

qui existimavere, sive a figlinis doliariorum, ut a Plinio deducitur, quem tamen notatum videas a Sam. Bocarto lib. I. Chan. Cap. XXXIII. Steph. pag. 549. 75., & Erytreo. Jure, an injuria?

Insulam Pithecusam, quæ, ut adhuc, civitatem habebat cognominem teste Scylace in *Καμπανοὶ*, & Ovid. 14. Metam. vers. 88. „ ... Ste„ rilique locatas = Colle Pithecusas, habitantum nomine dictas „ in Cumano sinu positam, Cumis objectam, & ex Antonino XLV. stadiis ab illis reductam, sive Pithecnsas, promiscuè singulariter, & pluraliter ab Auctoribus usurpatam, Latinis Aenariam, si Plinio credimus, a statione navium Aeneæ lib. III. cap. VI., aut Enariam, quod simiæ sint absque naribus, ut aliis placet, (perperam enim Livius lib. VIII. cap. XXII., & Mela lib. II. cap. V. disjungunt, deque una faciunt duas, ut satis probatum dat Cellarius geograph. lib. 2 cap. X. §. XXI.) a Græcis habitatam olim fuisse, non est, qui inficias ire possit, nisi velit ab antiquis Auctoribus dissentire, & præsertim a Strabone, qui lib. V. pag. 270. sic habet = *Pithecusas Eretrienses habitaverunt, & Chalcidenses*, quique insuper nos edocet de Insulæ fertilitate, & opulentia, sic enim prosequitur = „ & cum ob agri feracitatem, ac metalla auri rebus ute„ rentur prosperis, insulam deseruerunt, initio ob seditionem coortam, „ post etiam terræmotibus exturbati, ignisque, & maris, atque cali„ darum aquarum eruptione „ = Novosque indicat Insulæ habitatores primum Syracusanos, deinde Neapolitanos = „ Tales enim solum in„ sulæ habet eructationes, propter quas etiam missi eo a Tyranno Sy„ racusanorum Hierone una cum muro a se extructo insulam dereli„ querunt, supervenere his Neapolitani, & eam obtinuerunt „ = Progressu temporis Neapolitani bello fracti Pithecusas amiserunt, nec recuperarunt, nisi imperante Augusto, qui illas eis reddidit, ut Capreas ab eis reciperet, ut ab ipso Strabone colligitur. Jam verò cui persuasum erit, Insulam hanc frugum, ac metallorum ubertate, divitiis affluentem, tam aptam comercio, utpote in medio maris Tyrrheni positam, a Græcis, Syracusanis, Neapolitanis inhabitatam propriis caruisse nummis; (non enim moror illam monetam initialibus IΣ signatam, quam Froilichius, & Zaccharia in suis Catalogis dubitanter aut Ischiæ, aut Iso Beotiæ attribuunt, nummus enim antiquior est appellatione Ischiæ,) cum Melita, Cossura, Liparis, Lopadusa, Gaulum, Insulæ multò hac minores in Nummophilaciis moneta superbiant sua? Aut ergo Nummos Pithecusæorum nondum in apricum protulit ætas, aut, quod mihi verisimilius videtur, si qui extant, ab Antiquariis aliis Urbibus attributi sunt, & forsan quibus nec facultas, nec voluntas unquam fuit cudendæ monetæ. Sic factum puto de istis nummulis, de quibus dissero, Perusiæ, Aretinis, Vejis donatis. Quoad Perusiam certum est, quamquod certissimum, nihil commune cum illis habere, Sestini let. Tom. 4. pag. 51.

Una cum Passeri, & Guarnacio sensit Clarissimus Lanzi vocem Peithesam nullam unquam habere posse affinitatem cum voce Perusia, hinc

hinc cum inter Etruscas Urbes non invenisset, cui vox Peithesa congruere possit, ac si extra Etruriam non aliæ adessent Urbes, in duriorem abiit sententiam, vocem Peithesam non esse nomen proprium alicujus Urbis, sed vel vagam esse inscriptionem, ut est illa Havercampij in incertis Familiis = FIDES EXERCITUUM, cui affines sunt priores Syllabæ Πειθω Esichij, quæ redduntur Πίστις, latinè Feides, vel aliquam esse ex Tesseris ad conservationem alicujus secreti invicem inter se ab amicis comunicatam, vel tandem Exagium alicujus monetæ, ut illud Solidi apud Bandurium. Nec verò sibi ipsi satis probata erat hæc sententia, & nummulus sese patefaciebat pro nummo alicujus Populi, vel Urbis. At de rebus Etruscorum Scribenti, & cui jam persuasum erat Epigraphen Etrusca lingua esse concinnatam, nunquam venit in mentem egrediendi fines Etruriæ, sed Populum, vel Urbem quærebat inter hos positam, cui aliquo modo illud PEIΘE aptare valeret. Tandem aliquando ex Plinio illi apparuerunt Aretini Fidentes, & suspicatus est in epigraphe exprimi nomen hujus Populi, nam Peithes, seu Feides pro Fidens reddi potest, ommissa in antiqua ortographia littera N, ut Pudes pro Pudens, Clemes pro Clemens, & Fidens in singulari pro plurali Fidentes, ut antiquè a Latinis scribebatur Divi potes pro Divi potentes.

Verum cui cor aliquantisper sapiat doctrinam, & ingenium Viri comendabit, non tamen ita ei addictus erit, ut juret in sua verba. Sic & ego. Pace enim tanti viri dixerim eamdem difficultatem, quam ipse reperit, in reducendo vocem Perusiam ad Peithesam, me invenire, si velim traducere vocem Peithesam ad Fidentes. Insuper fabrica horum nummorum fabricæ aliquorum nummorum Siciliæ, & Magnæ Græciæ simillima, ut conferenti patet, eamdem originem, nempè græcam redolet, non Etruscam, & græcæ fabricæ congruunt græci typi alludentes ad græcas Deitates Mercurij, & Minervæ sub noctuæ symbolo ab Atheniensibus in eorum moneta frequentissimè repræsentatæ. Quem autem Antiquariorum fugit typos nummorum Populorum, & Urbium Divinitatibus signatos spectare, aut ad peculiarem originem, aut ad peculiarem cultum ab iis Populis, & Urbibus, quorum nummi sunt, redditum. Diis, & Deabus in nummis exhibitis? Nullo argumento conficitur a Clarissimo Lanzi peculiarem græcanicam originem horum Fidentium (quidquid sit de Tyrhenorum genere ex Lydia, pro quo stant Lycophron, Herodotus, aliique, contra, Xanthus Lydius, cui de patriis rebus disserenti, præ cæteris deferendum, Dionysius Halicarnasseus, & alii) nec Mercurium, Minervam aliquo particulari cultu apud illos gavisos fuisse, sive peculiaribus cæremoniis, & ritibus, sive templis in eorum honorem extructis, quæ sæpissimè in aliorum Populorum, vel Urbium nummis, in quibus hæc obtinebant, visuntur; immò satius duxit ab hac investigatione se abstinere, quam nullo veterum testimonio fulcire poterat, refragrante præsertim ipso Dionysio, qui lib. 1. apertè = Tyrrhenos eadem, quæ Lydi, coluisse Numina = negat; Et si aliorum conjecturis indulgendum est, potius credendum Junonem

Digitized by Google

Feroniam hos Aretinos in nummis exibuisse, de cujus Sacerdotio, Templo, Aedituo apud illos loquitur Guazzesi Diss. Corton. Tom. 2.

Non est ergo, cur Aretini Fidentes hos nummos sibi arrogent. Convertamus nunc nos ad Vejos Clarissimi Sestini, nec multum defatigandum nobis erit, ut ex hactenus dictis adstruamus & ipsis Vejentibus nullum ius competere hanc monetam uti propriam conclamandi; deficiunt enim, ut Aretini, in probatione græcæ originis, neque nobis aliquid innuunt de peculiari eorum cultu erga Minervam, & Mercurium. Quid si epigraphen inspiciamus? Si enim malè congruit cum Perusia, & Aretinis Fidentibus: an non æquè malè congruet cum Vejentibus? Ex sola enim inspectione nummi primo loco positi optimæ conservătionis ex omni dubij alea ponitur epigraphem, quæ punctim respondet illis, quas Passeri, Pembroch, Lanzi ære incisas donarunt, perspicuè apparet, legendam esse non Veithesa, sed Peithesa, consentientibus omnibus Antiquariis, qui usque adhuc de ea mentionem fecerunt, quique, ut Sestini, Epigraphen etruscam esse censuerunt. Jam verò in Dialecto etrusca primum elementum ╗ usurpari pro Π abundantissimè docet doctissimus Lanzi.

Sic dispunctis Perusia, Aretinis, Vejis remanet, ut videamus, an Fabrica, epigraphes, typi horum nummorum convenire possint Insulæ Acnariæ, nunc Ischiæ, ita ut eidem sint restituendi. Jam supra probatum dedimus ex Strabone, aliisque Auctoribus Græcos hanc Insulam coluisse. De sua ergo græca origine non est amplius dubitandi locus, hinc sequitur Mercurium, Minervam divinos honores omni cultus genere apud illos obtinuisse, & præsertim Minervam Atheniensibus præ cæteris Divis, uti Athenarum conditricem, in honorem habitam, cui Noctua dicata erat, sub cujus Symbulo illam in suis nummis repræsentarunt adeò frequenter, ut, visa in nummo Noctua, statim Antiquariorum cogitatio ad Athenas, recurrat, ut patriam nummi determinet, & adeò de sua Dea gloriabantur, ut ubicumque pedes fixissent, coloniasque deduxissent, etiam in locis quoquomodo a Græcia dissitis, in monumentis, in nummis Minervam, aut Noctuam signarunt, aut solam, aut cum Diis, & conditoribus indigenis conjunctam, quem morem, ut posteritati testatam facerent suam Græeanicam originem, Successores servarunt, ut videre est in multis Urbibus magnæ Græciæ & Siciliæ. An non ergo tam fabrica, quam typi horum nummorum nobis satis suadent, non dicam illorum genericam græcam originem, sed ut propiùs accedamus, peculiarem originem Atheniensem Eretriensium, & Chalcidensium hanc Insulam incolentium? Ex Athenis enim egressi sunt, qui Eretriam, & Chalcidem in Euboea condiderunt, ita Strabo lib. X. pag. 510. = Post Geræstum Eretria est Euboicarum Urbium, „ demta Chalcide, maxima. Tum Chalcis Metropolis, ac caput Insulæ quodadmodo, supra ipsum sita Euripum, ambæ ante bellum Trojanum conditæ ab Atheniensibus dicuntur = cui consonat Paterculus lib. 1. cap. 4. = Athenienses in Euboea Chalcida, & Eretriam Colo-

„ nis

Digitized by Google

„ nis occupavere = a qua profecti sunt, qui primum Cumam, deinde Pithecusas tenuerunt. Inter multos Auctores, qui rem narrant, unus, & alter nobis sufficiant Dionysius, & Livius. Sic primus lib. 7. = Quar- „ ta, & sexagesima Olympiade, Archonte Athenis Miltiade, & Ere- „ trienses, & Chalcidenses Cumam græcam Urbem condiderunt = Sic prosequitur secundus lib. 8. c. 22. = „ Cumani ab Chalcide Euboica „ originem trahunt, Classe, qua advecti a domo fuerant, multum in „ ora maris eius, quod accolunt, potuere. Primo in Insulas Aena- „ riam, & Pithecusas (jam supra prænotavimus perperam has Insulas a Livio separari) egressi, deinde in continentem ausi Sedem tran- „ sferre = Verisimile ergo, ne quid amplius dicam, est, hos nummos, in quibus Noctuam, qua Minervam innuebant, perpetuò signatam Noctuis Atheniensium tam similem; Caput Mercurij, de cuius cultu apud Athenienses testantur nummi Athenis percussi apud Gesnerum, & Hunter, exhibitum videmus, cusos eos fuisse ab Eretriensibus, & Chalcidensibus, sive eorum successoribus Insulam Pithecusam inhabitantibus. Vidimus usque adhuc fabricam, & typos horum nummorum benè convenire origini, & cultui Populorum, qui primi post Phœnicios Insulam Ischiam incoluere.

Pauca nunc de Epigraphe. ASƎOIƎT, quam cum omnibus Antiquariis, excepto Sestini, lego Peithesa, seu melius Pithesa. Si quis enim ignorat EI in antiquissimis monumentis usitatum reperiri pro I adeat inter doctissimos Antiquitatum peritos nunquam satis laudatum Ennium Visconti in suis observationibus super prima ex duabus celeberrimis Inscriptionibus Triopeis, nunc Borghesianis, quas anno elapso edidit typis Pagliarinis eo, quo decebat earum Possessorem, nitore, ex quibus etiam ediscet deficientiam lineolæ non semper prohibere quin O legatur pro TH. Ut ergo ad rem redeamus, si demas primum elementum ˥, inscriptio exarata est litteris græcis non certè elegantibus, sed illis priscis temporibus convenientibus, & de quibus non pauca habemus exempla in nummis magnæ græciæ, & Siciliæ, sed præcipuè in monetis cusis a Messeniis Messanam occupantibus relatis a Torremuzza Tab. 47. inscriptis MESSENION, MESSANION, in quibus ea est affinitas litterarum cum nostris, ut littera ς videatur ab uno, eodemque Artifice scalpta, & fortè non inverisimiliter cogitari poterit Eretrienses, & Chalcidenses Pithecusam occupasse, quo tempore Messenij Siciliam. Sed dicet aliquis primum illud elementum Etruscum esse. Sit. Quid ergo? Nonne edocti sumus a Strabone lib. 7. de Græcis loquente græca nomina aliquando sapere barbariem? = „ Quin & ex quibusdam nominibus origenes apparent barbaricæ = „ Insuper hoc elementum, an non etiam Græcum esse potest? Et certè dubitari nequit, quin Græci illo usi sint in antiquis eorum lapidibus, & in antiquissimis eorum nummis, prout testis nobis est nummus Laitarum, & Posidoniatarum, quem ex Minervino de Monte Vulture tab. 3. profert Echel in sua Doctrin. num. vet. t. 1. pag. 154., in quo nomen Posidon. sic inscriptum conspicitur O ˥, nec procul ablu-

dit

dit figura ꓶ in epigraphe Sigeensium longe celeberrima, quam adcuratim protulit cl. Chandler. (Inscript. Græc. & As. P. 1. n. 1.)

Sed & Lanzi non vehementer repugnavero, si epigraphen Etruscam retinuerit. Multi enim extant græci nummi Oscè, Etruscè, Samniticè inscripti, præsertim in Campania, cui satis diu Etrusci imperitaverunt, nam Strabo lib. V. p. 242. sic loquitur = Opices, & Ausonios ab Oscis, Oscos a Cumanis, Cumanos ab Etruscis, Etruscos a Samnitibus, hos denique a Romanis e Campania expulsos esse. = Sanè non constat hos Etruscos suum extendisse imperium in nostram Insulam, verisimile tamen est ex illorum potentia, & Insulæ propinquitate, & opulentia. Verò quis nescit ex mutuo commercio Linguam, & Litterarum formam immutari, & miris modis perturbari, corrumpique? Cumæorum, aliarumque Urbium campanarum nummos primos græcè fuisse inscriptos nos suadet, quod Coloni erant Chalcide Euboeæ profecti, at deinde vicinis Oscis permixti miscuerunt & linguam, quod e Vellejo colligitur Lib. I. c. 4. = Cumanos Osca mutavit vicinia = Festus in Bilingeus: = Bilingues Brutates, Ennius dixit, quod Brutij & Oscè, & græcè loqui soliti sint = & Porphyrion ad Horatii versum = Canusini more bilinguis = Bilinguis dicitur, quoniam utraque lingua Canusini usi sunt, sicut per omnem illum tractum Italiæ, quem ex majori parte Græci incoluerunt = Linguam autem Oscorum fuisse Etruscæ dialectum vulgò censent Eruditi. Hinc mirum non est, si primi illi nummi forma litterarum elegantiore græcè inscripti ex fabrica remotiora tempora sibi vindicent, quam qui Oscè, aut Etruscè scripti sunt. Illi enim nesciebant omnes artis illecebras, quas noverunt hi posteriores cusi cultiori, & artibus magis amica ætate, quam loquitur perlegans fabrica nostrorum Pithecuseorum nummorum, licet ineleganti forma litterarum inscriptorum. Et quoniam honestum est confiteri a quo profecimus, lubentissimè fateor hæc me hausisse ex Clarissimo Echel in suo opere Nummi veter. anecd.

Investigandum nunc erit quare in nummis Peithesa, & non Peithecusa scriptum sit? Ut autem huic quæstioni faciam satis, duo proponam. Primum ex exemplis aliarum Urbium, quod Peithesa scriptum sit per contractionem. Sic apud Etruscos Vetluna pro Vetulonium, Popluna pro Populonium, & ne a Græcis discedam Tmolum pro Timolum, ut a Plinio discimus Lib. V. cap. 29. = Sardibus in latere Tmoli montis, qui ante Timolus appellabatur = sic Καυλων pro Καυλωνια = Cellar. Geograf. ant. pag. 737. Sic Salapiam, Salpiam, quamvis rarius, dixere Veteres, ut est apud Licophronem Alex. v. 1128.

„ At mihi Templum ædificabunt Dauniorum proceres
„ Salpes ad ripas.

Et Stephano Capriene dicuntur etiam Capriæ. Alterum est, quod Ischia sive Insula, sive Urbs dicta sit & Peithecusa, & Peithesa. Peithecusa a Pithecis, sive a simiis, Peithesa a Pithis, sive a doliis. Sanè Plinio innotuere alia antiqua Peithecuseorum monumenta, anne hi

hi nummi? in quibus cum legeret Peithesa etymologiam nominis Insulæ deduxit a doliis, seu a figlinis doliariorum. Malo ego sic rem componere, quam cum Bocarto, Stephano, Erijtreo, aliisque inurere Plinio ignominiam inscientiæ græci sermonis: Eo magis, quod Plinius non abscondit, quod aliqui existimabant Pithecusas dici a Pithecis; Hinc non improvidè, sed scienter his contraire volebat. Et sanè non dubitanter asserit, sed absolutè quod Inarime, dicta Græcis Pithecusa non a Simiarum multitudine, ut aliqui existimavere, sed a figlinis doliariorum sit nominanda, cujus sententiæ nullam affert rationem, quia forsan non sua, nec nova erat, dixisset etenim, ut ego existimo, ut ego puto, sed communior.

Et verè, si aliqui existimabant deduci posse a Pithecis, ergo non omnes. Neque enim cordatis viris placere poterat etyomologia illa petita ex fabula Canduli, & Atlantis fratrum, quibus morum perversitas Cercopum nomen dedit ab animalibus, qui caudæ motu blandiuntur. Iis, ut ajunt, summum studium fuit, appulsos, & advenas dolis quibuscumque circumvenire. Quod cum semel in ipsum Jovem tentassent, ab eo ex hominibus in simias mutati sunt, ut Ovid. Xenagoram sequutus 14. Metamor. cecinit. Si Græci veteres etymologiam nominis Insulæ ab hac Fabula derivare voluissent Cercopidam dixissent, non Pythecusam a Pithecis, quæ belluæ multum differunt a primis, & præsertim in eo maximè quod hæ careant cauda. Convenio autem cum Erytreo in suo indice in Virgilium in voce *Inarime* a Plinii Pithis Pithecusæ vocabulum quatuor Syllabis produci non posse, at non video, cur non liceat decere, non Pithusa, sed Pithesa. Hec autem Pliniana deductio, quam latè faveat huic meæ opinioni de patria hujus monetæ perspicuum satis est. Plinio Peithesa eadem est ac Peithecusa, Peithecusa ex communi omnium Antiquorum consensu eadem est ac Ischia, ergo Peithesa horum nummorum eadem est ac Ischia, quod demostrandum suscepi, non certè geometricè, sed probabilibus suffultus conjecturis, queis indulgere oportet ab iis, qui in hisce studiis versari delectantur; nec negotium mihi facessit, si hæ monetulæ non reperiantur in solo Insulæ, sed in Continenti. Reminisci enim debemus Insulam ex Vulcanis tales eructationes igneas non semel passam esse, ut non solum metalla funderentur, sed etiam, quod terra in cineres versa sit, nobis narret accidisse, paulò ante suam ætatem Timeus in Strabone, cum Collis in media Insula, cui nomen Epomeo, terremotu concussus ignes evomuit. Nummi ergo in Insula hisce universalibus excidiis perierunt, nec alii salvi facti sunt, quam quos Commercium in Continenti adsportaverat.

Tunc autem mihi persuasum erit a verisimilitudine, & probabilitate me non longè aberrasse, cum rescivero hanc meam dissertatiunculam ab eruditis, & præsertim a te, = Stephane, nostrorum sermonum candide Judex, = non esse improbatam, & cum Livio lib V. = His in rebus tam antiquis, si quæ similia veri sunt, pro veris accipiantur, satis habeam =. PE-

DESCRIPTIO NUMMI INEDITI

PESCENNII APUD ME ASSERVATI.



Apud Josephum Casalium

ΑΥΤΟ ΠΕϹ ΝΙΓΡΟϹ ΙΟΥϹΤΟϹ = Caput Pescen. Laur. ad dex.

ϹΙΔΩΝΙΩΝ . = Minerva stolata, & galeata stans a fronte, respiciens sin., dextra elata spiculum vibrat, læva scutum tenet = Ae. 3.

JAm obsolevit inter Antiquarios nummos omnes Pescennii cum verbo ΙΟΥϹΤΟϹ artefactos esse, & meritò. Nam hæc opinio se sustentabat sola Vaillantii auctoritate, qui in suo de nummis græcè loquentibus opere testatur = „ observandum, plurimos reperiri hujus Im„ peratoris nummos cum verbo ΙΟΥϹΤΟϹ, quos omnes hactenus ar„ tefactos observavi = Vailantio nimium indulgens Pedrusius Cimelii Parmensis Præfectus, eidem, & aliis renuit ostendere, quem ob verbum ΙΟΥϹΤΟϹ habebat suspectum, nummum Pescenii in Colonia Cæsarea Palestinæ celatum, & in eodem Museo asservatum. At Joseph Magnavacca Pictor Antiquarius, Vir, si Mediobarbam audiamus = „ Ad „ miraculum usque in praxi nummorum antiquorum versatus, sive præ„ tium, sive ingenuitatem, sive eruditionem eorum spectes „ = illum Vaillantio indicavit, & judicium Magnavaccæ probavere alii Periti, qui eum tractarunt, quique indubitatæ fidei esse Vaillantio asseruerunt, ut collegi ex ipso Vaillantio Num. Col. part. 1. pag. 224. Num. præst. Tom. 2. pag. 207. Reque vera illum Harduinus nihil hæsistans recensuit inter genuinos Pop. Urb. nummos, cui adiecit alios duos Pescennii verbo ΙΟΥϹΤΟϹ insignitos, unum e gaza Regia Parisiensi, quem etiam edidit Occo pag.339., 40., alterum ex Patiuo Num. illustr. pag. mihi 40. Hinc vitio vertendum non est Kellio, si suum supplementum

ad

ad numismata Imp. aurea, & argentea locupletavit argenteo max. moduli Nigri nummo ex Museo Regis Galliarum desumpto, spreta prorsus Vaillantii sententia, quæ tanti facienda non est. Nec enim tam adeo insolens est Græcos aliquando usurpasse latina vocabula, mutata tantum desinentia, ita ut non alia proferri possint exempla ex antiquis indubitatæ fidei monumentis. Luculentissima, ac æque frequentissima Numismata ipsa nobis suppeditant argumenta in voce ΑΥΓΟΥϹΤΟϹ, ΑΥΓΟΥϹΤΑ, ut inspicienti catalogos numismaticos patebit. Sic ΠΙΟϹ, non Εὐσεβὴς in nummis sæpe Græci scribunt, ut testatur Harduinus, quod illi argumento est non esse PIVS titulum, sed cognomen Hist. Aug. pag. mihi 802., & nummus apud Clarissimum Abatem S. Clementium inscriptus

. . . . ΝΕΙΝΟϹ ΠΕΙΟϹ (Pius) = Caput Laur. Caracallæ ϹΑΜΙΩΝ = Juno pronuba = ær. 2. editus etiam apud Vaill., & in catalogo Theup. immò & ΙΟΥϹΤΑΝ ΦΟΥΑΟΥΙΑΝ ΠΑΑΥΤΙΑΑΑΝ in nummo Gabalensium Hard. ibi, & ΙΟΥϹΤΟϹ est apud non satis laudandum Marini Inscrip. Albanæ pag. 183.

Cæterum Periti omnes, nec sanè pauci tam Romani, quam exteri meum Museum invisentes illum attentè inspexerunt, manibusque contrectarunt, & ingenuè fassi sunt in nummo nihil esse prorsus nec in ære, nec in figuris, nec in litteris, quod malæ fraudis suspicionem faciat; inesse illi rubiginem valde laudabilem, & oram extimam cospirare cum exemplis nummorum absque dubio integrorum, ita ut, nec male offendere possit apud aliquos paullulum suspicaciores. Hæc de ingenua antiquitate nummi.

Ratio autem, cur Sidonii nummos in Pescennii honorem percusserint, in propatulo est. Nullus Antiquariorum tam hospes est in Romana Historia, qui ignoret Syriam, Phæniciamque favisse Pescennio de Imperio cum Severo dimicanti, qui annum, & dimidium imperavit in Syria electus. Sed inter Phoeniciæ Urbes Sydoni antiquissimæ cum Tyro de primatu contendenti palma concessa est, utpote quæ Mater Tyri dicta jam fuerat ab Esaia Propheta cap. 28. 12., & quæ, non Tyrus, celebrata sit ab Homero tradit Strabo lib. 16. p. 756. = „ Poetæ quidem magis Sido„ nem celebrant, atque adeo Homerus Tyri non meminit = Si propriam monetam Pescennij vultu, nomineque signarunt Urbes Syriæ minores, ut Aelia Capitolina Hard. p. 8. Cæsarea Palestinæ p. 40. Alexandria ad Issum ex probabili Kellii sententia ad num. Imp. aurea, argentea p.104., Urbs, cujus nomen non integrum ΑΡ . . . . . ΙΩΝ habetur in Catalogo Kempiano, & alia Harduini in Historia Augusta, quæ nomen tacet pag. mihi 796. (Mittimus satis lubenter Alexandrinum Ægypti, quem protulit ex Gesn. doctissimus Roega, attamen uti sublestæ fidei,) an non etiam Sydon Caput, & Metropolis? Immò eo fortiùs indubitatum est, huic Imperatori nummos dicasse, quia sic ei præ Tyro, & cæteris Urbibus adhæsit, ut nunciata apud Cyzicum ejus exercitus clade, quamvis Tyrus, Laodicea, aliæque Urbes a partibus Pescen-

scennii defecerint, & Severo protinus acclamaverint Herodianus lib. 3. p. 518., ipsa nec defecit, nec Severo acclamavit, quamobrem illi iratus Victor Imperator Severus cum Tyro, Laodiceæ, Antiochiæ ignovisset, illasque colonias deduxisset, indulto insuper jure Italico, teste Vulpiano lib. 1. de censibus, Sidoniis nusquam pepercit, qui nec etiam in gratiam eorum, qui imperio Severo successerunt, recepti sunt usque ad Heliogabalum, quo imperante cum pro eo contra Macrinum, & Diadumenum stetisset, colonia constituta est, indito etiam Aureliæ Piæ gentis suæ nomine, dignitatemque Metropolis recuperavit, ut frequens nummorum ejus in honorem Heliogabali, Uxorum, Matris, & Aviæ signatorum copia indicant.

Sed de hoc satis; reliquum est, ut aliquid indigitemus de typo aversæ partis. Typi nummorum Sydonis ad cultum spectantes ferè semper Astartem, quæ Dea Sydoniorum dicitur III. Reg. XI. 5., repræhesentant, ast non omninò semper, nam Aquilam Jovis signavit in aliquibus nummis Regum Syriæ, ipsiusque caput in nummo autonomo Vindobonensi Echel Mus. Vind. Tom. I. pag. 241., in aliis autonomis Cistam cum thyrso, & Baccum ipsum signavit in nummo Alexandri Sev. illi forsan alludens, quod Imperator alter foret Orientis domitor. Vaill. Num Col. Tom. 2. pag. 123. Noster autem exibet Minervam alludentem virtutibus Pescennij, quas Sidonii celebrare volebant, nec immeritò = Fuit enim Niger miles optimus, tribunus singularis, dux „ præcipuus, legatus severissimus, consul insignis, vir domi, forisque „ conspicuus, sed Imperator infelix = Ael. Spart. in ejus vita.

VA1
1541809

Digitized by Google